



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 10. Virgo castitatis amore deuenustata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

tantis votis desideravit. Quod miraculū omnes inflammavit præsentem ad illum laudibus extollendum, qui non solum multorum ora solvit in loquelam, sed etiam labia aperuit, ad caelestem cibum capiendum.

§. X.

*Virgo castitatis amore deuenustata.*

Matrimonij Sacramentum venerabile est, ideoque & ipsum paulo prius ostendimus illustratum, per mœchæ monstrosam faciem, pœnitentiæque, formam iterum in integrum restitutâ. Quia tamen voluntariae virginitatis status perfectior, Deoque acceptior est, ideo Deus multos voluit potius esse non pulchros, quam non castos; quin & ipsi nonnulli pij sanctique homines deformes fieri maluerunt, ut virgines permanerent. *Soror Angela de Trinitate, Carmelitana, filia Marechalli de Brisach, cum ob formam aliâque naturæ dona a magnis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut decus forma deperiret, & procorum oculis minus arderet. In convictu etiam nobilium fatuam se tardamque simulavit, proposito suo nulli, quâ sibi, perspecto. O quàm sapiens fuit hæc stul-*

Paulus de  
Barrij in  
solitud.  
Hagio.  
philæ. 5.  
die me-  
dit. 2. dis-  
sert. po-  
merid.



2. Reg. 21.  
13.

Cant. 1. 5.

4. Reg. 9.  
30.

titia simulata! Olim David, vt mortem euaderet, vitamque suam conseruaret, *immutauit os suum coram hostibus, & collabatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque salina eius in barbam:* hæc, quia erat vna de numero prudentum, maluit videri fatua, quàm placere alijs oculis, nisi Christi. Vnde mentis quæsiuit, non frontis venustatem, vt verè dicere possit, *nigra sum, sed formosa.* Multæ aliæ, dum genas pingunt, dum fucum illitæ iuuenibus fucum faciunt, Deo nauseam creant, vt eas finat labi in mille foeditates. Quemadmodum olim, quando venit Iehu in Iezrael, Iezabel, introitu eius audito, *depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem per portam.* Quid hoc suo ornatu Circe ista retulit? quid illi facies picta dedit? iussa per fenestram in plateas præcipitari, canibusque obiecta, est deuorata; ira istæ pigmentis maculatæ, à Deo proijciuntur, & non rarò illis ipsis, quibus se ornant, reddunt fastidiendas. Quis enim ceruffatas amat? quis non odit fucum & fumum destructores oculorum? Sapienter igitur se se soli exposuit colorandam An-

gela



gela de Trinitate, quia sic effugit & principes, & opera tenebrarum. Non enim tantum fugit matrimonium, sed multa alia, quæ solent eiusmodi formis contingere. Pellem mutavit, ne mutaret virtutem. Æthiopissa facta est, ut animi servaret candorem. Aliæ etiam plus impenderunt, cum viderent periculosè similes stare venustatem corporis, & mentis integritatem. Vates fuit, qui dixit:

*Sed te decor iste, quod optas,  
Esse vetat, votoq; tuo tua forma repugnat.*

Ouid. *Liq  
Metam.*

S. XI.

*Virginitatem ut servarent SS. puella oculos  
perdiderunt.*

Quid oculis charius esse solet? castis virginitas. S. Brigida, inter totius Scotiæ puellas facile omnium pulcherrima, & hoc ipso à multis ambita, à Christianis parentibus filio suo in matrimonium petebatur. Ast illa, quia virginitatem Deo consecrârat, sponsum Christum enixissimè precata est, ut aliquo corporis vitio illam devenustaret, quo procantium cupiditas frangeretur. Nihil erat in tanta forma oculis elegantius. Itaque cum oculorum decore maximè

Sur. romæ  
1. Febr. 12